

**III. SENECA LUCILIO SUO SALUTEM**

[1] Epistulas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo; deinde admones me ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia non soleas ne ipse quidem id facere: ita eadem epistula illum et dixisti amicum et negasti. Itaque si proprio illo verbo quasi publico usus es et sic illum amicum vocasti quomodo omnes candidatos 'bonos viros' dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, 'dominos' salutamus, hac abierit.

**communico:** participare  
**publico :** quod vulgo usitatum

**hâc abierit:** hoc modo excusari dictum potest; (hâc significat motus)

[2] Sed si aliquem amicum existimas cui non tantundem credis quantum tibi, vehementer erras et non satis nosti vim verae amicitiae. Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius: post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Isti vero praepostero officia permiscent qui, contra praecepta Theophrasti, cum amaverunt, iudicant, et non amant, cum iudicaverunt. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. Cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audaciter cum illo loquere quam tecum.

**nosti = novisti**  
**praepostero:** inverso ordine  
↔ ordine

[3] Tu quidem ita vive ut nihil tibi committas nisi quod committere etiam inimico tuo possis; sed quia interveniunt quaedam, quae consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. [...]

**committere sibi** est conscientiam alicuius facti admittere  
**arcanus:** occultus, tacendus

**Cicero: Lael. de amicitia 20 (Quid sit amicitia?)**

Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio; qua quidem haud scio, an excepta sapientia nihil melius homini sit a dis immortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Beluarum hoc quidem extremum, illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest.

**praeponere:** praeferre, antepone  
**extremum:** finis, ultimum  
**superiora:** in loco superiore dicta  
**caduca:** facile cadens, mortalis, incertus  
**temeritas:** inconsiderantia **ullo pacto :** ullo modo

**SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE OFFICIIS MINISTRORUM LIBRI TRES. LIBER TERTIUS.**

127. Sane si necesse sit dicere testimonium, si quid in amico vitii cognoverit, corripere occulte; si non audierit, corripere palam. Sunt enim bonae correptiones, et plerumque meliores quam tacita amicitia. Et si laedi se putat amicus, tu tamen corripe; et si amaritudo correctionis animum eius vulneret, tu tamen corripe, ne verearis: *Tolerabilia sunt enim amici vulnera, quam adulantium oscula* (Prov. XXVII, 6). Errantem igitur amicum corripe, innocentem amicum ne deseras. Constans enim debet esse amicitia, perseverare in affectu; [180D] non puerili modo amicos mutare vagâ quadam debemus sententiâ.

**corripio:** deprehendo, castigo  
**correptio < corripio**  
**palam:** coram  
**leado:** violo  
**ne verearis:** noli dubitare, noli haesitare  
**adulantium < adolor:** blandior, omnia ad voluntatem, nihil ad veritatem loquor  
**desero:** relinquo

**Aelredus Rievallensis<sup>1</sup>**

**Ivo.** Primum quid sit amicitia arbitror disserendum; ne videamur, in inani pingere, si nesciamus quid sit illud, de quo debeat disputationis nostrae series tenorque procedere. **Aelredus.** Nonne satis tibi est hinc quod ait Tullius: *amicitia est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et caritate consensio?* **Ivo.** Si tibi sufficit ista definitio, mihi iudico satisfactum esse. [...]

**Ivo.** [...] Verumtamen caritatis vel benevolentiae nomine quid ethnicus ille significare voluerit, non video. **Aelredus.** Forte nomine caritatis mentis affectum, benevolentiae vero operum expressit effectum. Nam ipsa in rebus humanis atque divinis, mentibus utriusque cara, id est suavis et pretiosa debet esse consensio; benevola etiam et iucunda in rebus exterioribus operum exhibitio. [...]

Annuntiavit enim Christus Iesus et locutus est, et multiplicati sunt super numerum. Maiorem, inquit, hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. **Ivo.** Ergo ne inter amicitiam et caritatem nihil distare arbitramur? **Aelredus.** Immo plurimum. Multo enim plures gremio caritatis quam amicitiae amplexibus recipiendos, divina sanxit auctoritas. Non enim amicos solum, sed et inimicos sinu dilectionis excipere, caritatis lege compellimur (Matth. V, 44). Amicos autem eos solos dicimus, quibus cor nostrum, et quidquid in illo est, committere non formidamus; illis vicissim nobis, eadem fidei lege et securitate constrictis.[...]

Osculum corporale impressione fit labiorum, osculum spiritale coniunctione animorum, osculum intellectuale per Dei Spiritum infusione gratiarum. Osculum proinde corporale, non nisi certis et honestis causis, aut offerendum est, aut recipiendum. Verbi gratia, in signum reconciliationis, quando fiunt amici, qui prius inimici fuerant ad invicem; in signum pacis, sicut communicaturi in Ecclesia interiorem pacem exteriori osculo demonstrant; in signum dilectionis, sicut inter sponsum et sponsam fieri permittitur; vel sicut ab amicis, post diuturnam absentiam et porrigitur et suscipitur; in signum catholicae unitatis, sicut fit cum hospes suscipitur. Sed sicut plerique aqua, igni, ferro, cibo et aere, quae naturaliter bona sunt, in suae crudelitatis vel voluptatis satellitium abutuntur; ita perversi et turpes, etiam hoc bono, quod ad ea significanda quae diximus, lex naturalis instituit, sua quodammodo flagitia condire nituntur; ipsum osculum turpitudine tanta foedantes, ut sic osculari nihil aliud sit quam adulterari.

Quatuor quaedam probanda sunt in amico: fides, intentio, discretio, patientia. Fides, ut ei te tuaque omnia secure committas. Intentio ut nihil ex amicitia nisi Deum, et naturale eius bonum expectet. Discretio, ut quid praestandum amico, quid ab amico petendum, in quibus contristandum pro amico, in quibus amico congratulandum, et quem amicum nonnumquam corripiendum credimus, pro quibus id causis fieri debeat, modum etiam ipsum, tempus quoque et locum non ignoret. Patientia vero, ne correptus doleat, ne corripientem contemnat vel odiat, ut eum pro amico quaelibet adversa sustinere non pigeat.

**inane, is, n.:** locus inanis, vacuus, vanus  
**tenor, oris, m.:** cursus, aequabilis ratio  
**sufficio:** satis habeo

**exhibitio < exhibeo:** praebeo

**gremium, ii, n.:** sinus, complexus

**sanxit < sancio, is, xi, nctum:** confirmo, constituto, decerno

**compellimur:** cogimur

**formido:** metuo, paveo  
**vicissim:** mutuo, invicem

**infusio:** actus infundendi  
**offero, fers, tuli, latum:** praebeo, trado  
**reconciliatio:** reditus in gratiam

**communico:** confero, participo

**porrigo:** offero, praebeo, do

**stellitium, ii n.:** satellitium cohors e officium; satelles hic *mali ministri*  
**condio:** admiscere condimenta

**intentio:** finis, scopus, animi in rem aliquam directio  
**discretio:** moderatio

**contemno:** despicio, sperno  
**sustineo:** sustento, tueor, corruere non sino  
**piget:** poenitet, taedet

<sup>1</sup> (i. e. *Ethelred of Rievaulx, monachus Anglus, qui annis p. Ch. n. circiter 1110–1169 fuit. Inter opera eius praeter praeclarum De amicitia librum praecipue De anima, Speculum charitatis, Genealogia regum Anglorum digna sunt, quae inducantur.*)

## Augustinus

### Soliloquia (Cur cum amicis vivere cupit?)

[1.12.20] RATIO. Sed quaero abs te, cur eos homines quos diligis, vel vivere, vel tecum vivere cupias?

AUGUSTINUS. Ut animas nostras et Deum simul concorditer inquiramus. Ita enim facile, cui priori contingit inventio, caeteros eo sine labore perducit.

**inquiero:** indago, perquiro  
**contingit inventio:** accidit ei, ut prius invenerit

RATIO. Quid, si nolunt haec illi quaerere?

AUGUSTINUS. Persuadebo ut velint.

RATIO. Quid, si non possis, vel quod se invenisse iam, vel quod ista non posse inveniri arbitrantur, vel quod aliarum rerum curis et desiderio praepediuntur?

AUGUSTINUS. Habebo eos, et ipsi me, sicut possumus.

**praepedio:** impedio

RATIO. Quid, si te ab inquirendo etiam impediat eorum praesentia? nonne laborabis atque optabis, si aliter esse non possum, non tecum esse potius quam sic esse?

AUGUSTINUS. Fateor, ita est ut dicis.

RATIO. Non igitur eorum vel uitam vel praesentiam propter seipsam, sed propter inveniendam sapientiam cupis?

AUGUSTINUS. Prorsus assentior.

### EPISTOLA CXCVII (Caritatis debitum inexstinguibile)

[...]

Semper autem debeo charitatem, quae sola, etiam reddita, semper detinet debitorem. Redditur enim, cum impenditur, debetur autem etiamsi reddita fuerit; quia nullum est tempus quando impendenda jam non sit. Nec cum redditur, amittitur, sed potius reddendo multiplicatur: habendo enim redditur, non carendo. Et cum reddi non possit nisi habeatur, nec haberi potest nisi reddatur: imo etiam cum redditur ab homine, crescit in homine; et tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur. Quomodo autem negetur amicis, quae debetur et inimicis? Sed inimicis cautā impenditur, amicis securā rependitur. Agit tamen quantum potest, ut ab his etiam quibus pro malis bona retribuit, id recipiat quod impendit. Optamus [0869] quippe fieri amicum, quem veraciter diligimus inimicum: quia non eum diligimus nisi velimus bonum; quod utique non erit, nisi amiserit inimicitiarum malum.

**debeo charitatem:** hic quasi refertur ad aes alienum, quod debet reddi; i. e. charitatem, quam reddere debet  
**debitor:** is, qui debet pecuniam vel aliam rem  
**detineo:** teneo  
**reddo:** hic in sensu *persolvo*; reddere pecuniam debitam, aes alienum  
**acquirō:** adipiscor, comparo  
**cautā [charitas], securā [charitas]**  
**impendo:** insumo, pecuniam in rem aliquam conicio  
**rependo:** reddo, repono  
**veraciter:** vere

[...]

**Pauca argumenta oratiuncularum nostrarum**

- ∞ In qua re homines de amicitia cogitantes et amicitias habere conantes saepius errare solent?
- ∞ Quam rem de amicitia discere in mea vita debui? Quid adhuc discendum mihi restat, ut bonas melioresque amicitias mihi comparare possim?
- ∞ Utrum possint vera amicitia inter plures an tantum inter duos tresve esse? Et quomodo haec "ampla" (ut ita dicam) amicitia institui potest?

**Pauca argumenta addita**

- ∞ Qualis scopus in amicis eligendis ahibendus est?
- ∞ Quae vitia amicorum sunt amicis toleranda?
- ∞ Estne necessaria inter amicos omnium divinarum humanarumque rerum consensus? Possuntne inter amicos itam dissensiones esse?
- ∞ Praestatne amicitiam amor inter amantes? Quale sест discrimen inter amorem et amicitiam?
- ∞ Possitne fieri vera amicitia inter marem et feminam? Qualis generis haec amicitia esse debet?